
Stryjewicz Sebastian: Quaestio theologica de peccato ori-ginali.





In Nomine Domini Amen.

QVÆSTIO THEOLOGICA DE PECCATO ORIGINALI,

Ex 1. parte 2dæ D. THOMÆ Doctoris Angelici Quæst. 81. Art. 1. & sequentibus.



A

M. SEBASTIANO STRYEWICZ,

S. Theologiæ Professore, Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Custode, Prouisore Contubernij Iagelloniani.

PVBLICE AD DISPVTANDVM Pro Loco inter Sacræ Theologicæ Facultatis Doctores obtinendo PROPOSITA.

Anno humanæ salutis 1679.

Lectorio DD. Theologorum.

Die 12 Mensis Octobris Hora 8

PERMISSV SVPERIORVM.

CRACOVIÆ, Typis VNIVERSITATIS.

QVÆSTIO THEOLOGICA, DE PECCATO ORIGINALI.

VTrum Primum Protoplaſti peccatum, per propagationem ſeminalem, in omnes eius poſteros æqualiter, & in eſſentiam animæ, cuiuſq; hominis, deſcendentis ex Adam immediatè, in certas verò potentias ſenſitiuas, mediante voluntate deriuatum: dicat pro formali, priuationem iuſtitiæ Originalis, per quam homo ad Deum, tanquam finem Supernaturalē erat conuerſus, nec ne?

CONCLVSIO I.

Primũ Protoplaſti peccatum dariet trãſire originaliter in omnes poſteros illius ſecundum fidem Catholicam firmiter tenendum.

COROLLARIA.

I. Licet primum peccatum in primo Parente noſtro fuerit actuale, in poſteris tamen eſt originale, quod verè & propriè eſt peccatum faciens homines peccatores.

II. Hoc tamen peccatum non poteſt dici propriè noſtrum ex parte cauſæ, licet ſit propriè noſtrum ex parte ſubiecti.

III. Vt conſideratur in genere mali, conuenit in vna ratione vniuoca cum peccato actuali.

IV. Non minus origo, quam deducimus à Primo Parente, quam primum generationis noſtræ initium, à quo nobis ineſt, denominationis Originalis peccati eſt cauſa.

V. Nemo Philoſophorum antiquorum deſtitutus principijs reuelationis, fidei, naturali potuit aſſequi ratione, naturam humanam eſſe obnoxiam peccato originali.

CON-

CONCLVSIO II.

Modus per quem primum Adæ peccatum, traducitur æqualiter in posteros, est propagatio seminalis.

COROLLARIA.

I. Non requiritur, vt per generationem fiat productio Originalis, peccati sed sufficit productio subiecti cum debito contrahendi Originale peccatum.

II. Licet anima nihil vitij contrahat ex parte sui principij effectiui, scilicet Dei, à quo creatur, tamen ex parte corporis cui infunditur contrahit peccatum.

III. Non est tamen in corpore formalis & propriè dicta ratio peccati, nec qualitas aliqua, inficiens animam, eiq́ labem peccati imprimens: sed quod corpus sit pars naturæ, quæ in Adam peccauit.

IV. Si Eua peccante Adam non peccaßet, filij nō contraherent peccatum originale, imò verisimile si Caim peccáßet primo Parente non peccante, filij eius non contraherent peccatum originale.

V. Si aliquis homo formaretur ex humana carne miraculosè, siue illa caro eßet ministrata per virum, siue per mulierem non contraheret peccatum originale.

CONCLVSIO III.

Peccatum Originale immediatè in essentiam animæ, post in voluntatem, hâc verò mediante, in aliquas potentias deriuatur.

COROLLARIA.

I. Nullo modo peccatum Originale potest eße in carne tanquam in subiecto.

II. Non est tamen absurdum dicere Peccatum Originale fuiße in semine, sicut in instrumento.

III. Prima inclinatio quam habet voluntas ad peccandum est causa, vt etiam voluntas prius inficiatur alijs potentijs.

IV. Vis generatiua, facultas concupiscibilis, & sensus, tactus, specialiter sunt infecta.

V. Non potest tamen dici, quod in istis potentijs sit formalis culpa, sed quia in illis magis experimur corruptionem pœnalem secutam ex peccato.

CONCLVSIO IV.

Priuatio iustitiæ Originalis, per quam homo ad DEVM, tanquàm finem supernaturalem erat conuersus, est ipsum formale in peccato originali.

COROLLARIA.

I. Peccatum Originale non est aliqua substantia, seu substantialis natura, vt censuit Illiricus, neq́ est peccatum luxuriæ vt docuit Agrippa.

II. Neq; potest dici quod sit habitus realis & positiuus, vel qualitas realis positiua, sumpto habitu pro dispositione, qua inclinatur potentia ad agendum, potest tamen dici habitus sumpto habitu pro dispositione naturæ compositæ ex multis, secundum quàm benè vel malè se habet ad actum, idq; materialiter.

III. Actualis transgreßio Adæ, à quâ homines extrinseca denominatione dicuntur peccatores, non est peccatum Originale.

IV. Sed & concupiscentia vt dicit vitium naturæ, eam instar habitus afficiens, & inclinans, ad omne genus peccati, saltem est quid materiale in peccato Originali.

V. Etsi priuatio iustitiæ Originalis, non solùm complectitur subiectionem virium inferiorum ad rationem, non solùm subiectionem corporis ad animam, sed etiam rationis & mentis ad Deum, tamen quando peccatum Originale dicimus eße priuationem Iustitiæ Originalis, non intelligimus primum & secundum sed tertium.



Sub Felicißimis Auspicijs

Magnifici Perillustris & Admodùm Rndi Domini,

D. ALBERTI DĄBROWSKI,

S. Th. Doctoris ac Professoris, Decani S. Floriani, Senioris Patris, & Generalis Studij Academiæ Cracouiensis

R E C T O R I S

Vigilantißimi.



